Stonkowsii Martini: Quaestio physica de anima corpus informante.

Crac. ap. Luc. Kupisz, 1648.

QVÆSTJO PHYSICA DE ANIMA CORPUS informante.

A

M. MARTJNO SLONKOWIC,
Colle. Minore Contub. Iagelloniani Seniore.

Publicè.
In Alma Academia Cracouien.
permiſsu.
MAGNIFICI DOMINI RECTORIS
ad diſputandum
PROPOSITA.

Anno Domini. 1648. Menſis Ianuarij die 11.

CRACOVIÆ.
Apud Lucam Kupiſz, S. R. M. Typogr.



Nequicquam validos quatiunt haſtilia muros
Nequicquam tentant fallere mille doli;
Quos Leo magnanimus forti munimine claudit
Quos purum ſtabili cardine verum aperit.

Adamus Ordega
Phil: & Eloq: Stud:

Religiosissimo
Et
Admodum Reuerendo in Christo Patri
PRÆMISLAO DOMIECHOWSKI
S. ORDINIS CISTERCIENSIS PROFES-SO, CLARÆ TVMBÆ PRIORI
Domino ac Patrono colendissimo.

NAturam animæ & vim eius in corpore hac Quæstiuncula adumbratam, atq; certamini Philosophico in Nobilissimo Sarmatici orbis Lyceo propositam, ad Te Admodum R. P. libens defero: rem quidem si ex argumento iudicetur præstantissimam, si ex Authore satis exilem: vtroq; tamen respectu non alteri à me quàm tibi fidentius dedicandam. Tua enim in me toties collata beneficia, tuus ab ineunte ætate singularis amor, eò animum meum trahit perpetuò, vt siue quid candidus mihi jucundo flatu ferat Fauonius, siue niger turbulento strepitu intrudat Boreas, id totum ad te vnum, vel mihi certum quærendo præsidium, vel tibi debitam præstando venerationem referendum putem. Nec immeritò; id enim mentibus nostris mater omnium rerum ingenerauit natura, vt ad eorum patrocinium, quorum frustra nunquam flagitauimus opem, tanquam ad vmbram notam, in omni difficultatum æstu refugiamus: & eisdem vicissim quidquid boni tam mortalibus in hac mortali vita, quàm beatis in æterna euenire potest, exoptemus. Hinc Romani olim fontibus etiam inanimis, qui præsentissimum vrgente siti erant refugium, gratiam referentes, diem festum, quo coronas in fontes proijciebant, & puteos coronabant, constituerunt; eumq; diem Fontinalia appellârunt. Quocirca nec ego me errasse existimo, dum hanc meam Disputationem &

tuo

tuo nomine adornare; & in officiosissimæ signum obseruantiæ tibi ipsi offerre constitui. Certus enim sum, nomen tuum tantum ornamenti huic Disceptationi allaturum, quantum & Majestas loci in quo habebitur, & personarum dignitas quibus præsentabitur videtur postulare. Cum nemo sit qui ignoret, quantum tu ad eum splendorem, quem à Generoso Majorum tuorum habes sanguine, de proprijs virtutibus & solida eruditione, tam in moribus tuis omnem humanitatem inspirantibus, quàm in scriptis doctissimis ac deuotissimis elucente, adjeceris. Virum enim excellentissimis ornatum virtutibus, etiamsi ipse eos quos mundus confert honores fugiat; & totum se humilitati, quæ est fons omnium virtutum deuoueat, in abstrusis claustri penetralibus non obstante ædificiorum mole, aut loci remotione, tanquam in theatro positum, omnes suspiciunt, obseruant, venerantur. At nec dubitare possum, hanc speculationem de anima tibi fore gratissimam, cùm nouerim optimè, & quisq; ex ipso genere vitæ quod tibi elegisti potest judicare, nihil tibi ea contemplatione, qua homo in cognitionem sui ducitur esse antiquius. Et licet hæc non sit eius modi, vt ad eas quas ex sacris deuotæ mentes hauriunt oraculis quidpiam possit adijcere; non tamen ingrata potest esse ei, qui dum hinc à diuino speculatore audit, Nihil prodesse, si quis totum mundum lucretur & animæ suæ detrimentum patiatur; inde autem à naturali Philosopho accipit, Inter res sublunares quod præcipuum humanus cognitione attingit jntellectus, id animam esse, facilè judicat quàm verum consentiat vero. Tu igitur Admodum R. P. cui ipsum domus Nobilissimæ decus veritatis judicium attribuit, hanc breuem speculationem æqui boniq; consule: & submissam animi mei Propensionem, eo vultu quem mihi semper præstitisti suscipe.

Adm: R. P. T. deuotissimus.

M. MARTINVS
Słonkovvić.

QVÆSTIO.

Vtrum Anima in quocunq; viuente sit tantùm vna, excludens omnem aliam formam substantialem, non solùm ex parte diuersorum vitæ graduum, sed etiam ex parte corporeitatis, & partium heterogenearum necne?

CONCLVSIO I.

In vnoquoq; viuente quilibet rectè sentiens, non nisi vnam agnoscit animam.

COROLLARIA.

1. *Anima in viuente est forma informans, dans viuenti esse simpliciter.*

2. *Anima est Substantia partialis, & actus formalis correspondens materiæ, non accidens aliquod, aut temperamentum qualitatum.*

3. *Anima cum Corpore constituit vnum ens per se.*

4. *Anima secundum suam essentiam est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; non autem sic secundum potentias; nec secundum quantitatem in plantis, & animalibus imperfectis.*

5. *Anima non est vna in omnibus viuentibus, sed tot sunt numero animæ, quot viuentia.*

CONCLVSIO II.

Anima in viuente nullam aliam secum patitur formam substantialem

COROLLARIA.

1 Decipitur quicunque docet, tot esse in vno viuente formas substantiales, quot prædicata quiditatiua.

3. Perinde est ponere plures formas substantiales in vno viuente, ac ponere plura esse, quorum quodlibet sit primum.

3. Formas accidentales, quæ adueniunt enti actu per formam substantialem existenti, dari in vno viuente multiplices, nemo ibit inficias.

4. Non repugnat veritati, dari partem mouentem & partem motam in vno viuente exclusis diuersis formis substantialibus.

5. Ab vna substantiali forma plures in viuente procedere motus siue proprios siue improprios nihil prohibet.

CONCLVSIO III.

Propter diuersos vitæ gradus plures Animæ in vno viuente non sunt concedendæ.

COR-

COROLLARIA.

1 Dicens animam eſſe primum principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, ſingulos viuentium gradus diſtribuit.

2. Primum gradum tanquam fundamentum reliquorum, appellari nomine vitæ omnibus alijs communi non eſt inconueniens.

3. Dantur alia viuentia, in quibus vnus tantum reperitur gradus, alia in quibus plures, alia in quibus omnes.

4. Priores gradus ſine poſterioribus eſſe poſſunt non contra.

5. In quibus vnus reperitur gradus, in his eſt ille gradus ſubſtantia, in quibus plures, vltimus tantum ſubſtantia reliqui potentiæ.

CONCLVSIO IV.

Nulla cogit ratio, formam ſubſtantialem corporeitatis admitti in viuentibus.

COR-

COROLLARIA.

1. Anima constituens viuens in esse viuentis quod est maius, constituit illud simul in esse corporis quod est minus.

2. Corpus viuentis cuius anima est actus, non dicitur potentia vitam habens respectu actus primi, id est ipsius animæ quâ est informatum, sed respectu actus secundi, id est operationum, quas ab anima habere potest.

3. Totum viuens ex corpore vt potentia, & ex anima vt actu constituitur.

4. Anima in corpore viuentis triplicis causæ munus exercet, formalis, finalis, & efficientis.

5. Recedente anima à corpore, non remanet idem corpus specie, nec oculus aut caro dicitur; nisi æquiuocè.

CONCLVSIO V.

Pluralitas partium organicarum, sine pluralitate formarum substantialium optimè potest sustineri.

COROLLARIA.

1. Propter diuersas operationes animæ necesse est diuersas dari partes in corpore viuentis.

2. Quò anima est perfectior, & plures potest exercere operationes, eò plures requirit in viuente partes organicas, excepta rationali anima, quæ vt talis est, non indiget organo corporeo.

3. Organizatio partium in viuente intelligenda est tam accidentalis quo ad dispositionem quantitatis & qualitatis, quàm substantialis quo ad viuificationem & informationem ab anima.

4. Diuersæ complexiones & qualitates partium organicarum, non arguunt diuersa esse, à diuersis formis substantialibus prouenientia.

5. Partes organicæ differunt inter se accidentaliter, sed substantialiter non nisi aliquo modo, quatenus diuersimode ab vna forma quæ est virtualiter multiplex informantur.



Sub felicibus auſpicijs,

Perilluſtris ac Magnifici Domini,

IACOBI VITELLII,

S. Th: Doctoris ac Profeſsoris.

Canonici Crac. Almæ Academiæ Procancellarii & Generalis RECTORIS.